

Decretum irritans.

lica auctoritate, tenore presentium, concedimus, & impertimur.

§.3. Decernentes presentes literas, & illarum vigore faciendas suppressiones, extinctiones, & translationes predictas, postquam facte fuerint, validas, firmas, & efficaces existere, & fore, ac majoribus Conventionibus hujusmodi plenissime in omnibus, & per omnia suffragari; Sicut per quoscumque Judices ordinarios, & commissarios quavis auctoritate fungentes, judicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrarium.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 3. Octob. 1635. Ap. XIII.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die tertia Octobris 1635. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

CDXCIV.

Revocatio Literarum Concordiae inite inter Provinciam Sancti Joannis Baptistae Fratrum Minorum Discalceatorum ex una, & Fr. Onuphrium Legazam ex alia ejusdem Ordinis, cum perpetuo silentio.

De hujusmodi Fratrum Concordia lege Constituit. CCCXXXI. Regis pacifici. Tom. VI. Par. I. fol. 211.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Reverent concordiam inite, & dissolutiones inde exortas.

§.1. CUM, sicut accepimus, ob causam, & causas vertentes inter Provinciam Sancti Joannis Baptistae Fratrum Minorum Sancti Francisci Discalceatorum, nuncupatorum in Regnis Hispaniarum, seu Joannem Baptistam Beruegal illius Procuratorem ex una, ac Onuphrium Legazam ejusdem Ordinis, & Provinciae professores dilectos filios, & illi adherentes partibus ex altera de, & super controversiis ortis causa, & occasione assertarum inobedientiarum, ut dicebatur, praestitarum dilecto etiam filio Petro Logroño in generali Visitatione dictae Provinciae, ac decretorum a Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Regularium praepositis de anno 1626. emanatorum, necnon de, & super praesensa nullitate, seu revocatione trium Capitulum Provincialium, seu electionum inde sequutarum, ac de, & super praesensa nullitate, & revocatione confirmationum apostolicarum, desuper emanatarum, ut in Literis Apostolicis in forma Brevis sub data 22. Aprilis 1630. desuper expeditis plenius conti-

netur; necnon super praesensa apostasia dicti Onuphrii Legaza, ac aliorum dicti Ordinis Fratrum forsitan a dicta Provincia occasione praemissorum absque Superiorum licentia absentium, ac de, & super quibuscumque etiam speciali nota dignis in causa, & causis praedictis appositis, seu praesentis delictis contra eundem Onuphrium Legazam, rebusque aliis in actis causae, & causarum hujusmodi latius deductis, habita fuerit Congregatio die 18. Aprilis praesentis anni coram dilectis filiis nostris Desiderio Sancti Caroli de Cremona, ac Berlingerio Sancti Augustini Gypso, & Laudivio Sancti Petri ad Vincula titulorum, Sancti Sixti Presbyteris, necnon Martio Sancti Angeli in foro Piscium Diacono Cardinalibus Ginetto respective nuncupatis, ac dilectis filiis Joanne Baptista Cocino, & Alexandro Buccabella Cappellanis nostris, & causarum Palatii Apostolici Auditoribus, a Nobis super praemissis specialiter deputatis: & in eadem Congregatione Joannes Baptista, ac Onuphrius praedicti, eorumque Procuratores, & Advocati pluries prius etiam in contradictorio auditu, scripturaeque quamplurima hinc inde exhibita visa, ac negotium diu, matureque, diligentissime perpensum, ac examinatum respective fuerint; Nos autem plena relatione meritorum, ac status causae, & causarum hujusmodi per eosdem Desiderium, Berlingerium, ac Laudivium, & Martium Cardinales praedictos Nobis facta.

Avocando ad se causas omnium controversiarum penitus extinguit.

§.2. Ad tollendas discordias, lites, & controversias, quae in praemissis ortae fuerunt, & in dies oriri possunt, non sine maxima inquietudine, perturbatione, & detrimento dictae Provinciae, & eorumdem Religiosorum paci, & quieti, felicitateque, ac prosperae ejusdem Provinciae gubernationi consulere volentes, ac statum, & merita causae, & causarum hujusmodi, nominatim, & cognomina Judicum, & Colligantium, aliaque etiam hic de necessitate exprimenda, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes; motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes, & quascumque controversiarum hujusmodi causas, & molestias super praemissis, & illarum occasione civiliter, vel criminaliter haecenus quomodolibet motas, & pendentes, seu quae desuper moveri possent, cum omnibus suis annexis, & dependentibus, ad Nos harum serie avocantes, illa penitus extinguimus, ac Fratribus praedictis, & quibuscumque aliis interesse habentibus, seu praetenduntibus perpetuum super praemissis silentium imponimus, necnon omnibus, & singulis Fratribus Discalceatis praedictis, quibuscumque conditionis, seu gradus existant, sub praeepto sanctae obedientiae, & sub excommunicationis, ac privationis vocis activae, & passivae, necnon quorumcumque officiorum,

Inhibito Judicibus, quominus hac in re se ingerant.

etiam, quae obtinent, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda poenis eo ipso incurrendis praecipimus, & mandamus, ne de caetero dictae Provinciae Fratres hujusmodi lites, & controversias, quavis occasione, causa, seu praetextu, directe, vel indirecte, civiliter, vel criminaliter, per se, vel alios quoscumque movere, vel prosequi possint, nec inter se molestari, affligi, aliqua poena affici, seu molestare facere quomodolibet audeant, seu praesumant praemissorum occasione. Ipsique Onuphrio, & aliis illi adherentibus (si qui sint absentes) pariter mandamus, ut infra tres menses a data praesentium, nisi dilecto filio nostro Francisco Sancti Laurentii in Damaso Diacono Cardinali Barberino nuncupato, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellario, nostro secundum carnem ex fratre germano Nepoti, dicti Ordinis apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectori aliter videbitur, ut ad suam debeant remeare Provinciam: districte praecipiendo ejusdem Provinciae Superioribus, & Fratribus, ut illum, seu illos recipiant, ac eum, aliosque Fratres, qui ei adhererunt, etiam si poenis aliquibus occasione praemissorum, possent affici, seu condemnari, aut affecti, vel condemnati fuerint, bene, & benigne tractent, neque illos in futuris Capitulis, vel alibi occasione praemissorum ab officiis, & muneribus Religionis excludant; imo eos ad ipsa, nulla de praemissis habita consideratione, si alias habiles sint, absque ulla differentia, ac pariformiter, prout et alios Fratres, eligant, seu admittant, facultatemque tribuimus confessoribus ordinariis ejusdem Provinciae absolvendi, & dispensandi respective, tam praedictos, quam quoscumque alios Fratres ejusdem Provinciae, vel aliquos illorum, si id petierint, etiam ad cautelam, seu alias a censuris, seu irregularitatibus, & aliis poenis forsitan incurris praemissorum occasione.

Inhibito Judicibus, quominus hac in re se ingerant.

§.3. Insuper quibusvis Judicibus, & personis quibuscumque, quavis auctoritate fungentibus, districtius inhibemus, ne Fratres hujusmodi, seu alios pro eis super praemissis ulterius audire, seu alias se desuper ingerere quomodolibet audeant, seu praesumant.

Clausula, & Decretum irritans.

§.4. Decernentes, praesentes Literas, & in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, seu invalidari posse, sed semper valida, firma, & efficacia existere, & fore, siusque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, quos illa concernunt, in futurum inviolabiliter observari; Sicut per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

& inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrarius derogat.

§.5. Non obstante regula nostra de jure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinibus, & Provinciae hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

§.6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Dat. die 10. Octobr. 1635. An. XIII.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decima Octobris 1635. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

CDXCV.

De praestatione alimentorum Hebraeis pauperibus ad instantiam Christianorum, creditorum carceratis.

De Hebraeis habes Pauli IV. Constit. IV. Cum nimis. Tom. IV. Par. I. fol. 321. & Pii V. Constit. Romanus. Tom. IV. Par. II.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. CUM, sicut accepimus, licet alias Congregatio Visitationis Carcerum Almae Urbis nostrae, tempore felicis recordationis Pauli Papae V. Praedecessoris nostri, visis literis reformationis tam ab eodem Paulo Praedecessore, quam felicis recordationis Pio Papa Quinto similiter Praedecessore nostro emanatis, decreverit, alimenta, sive victualia Hebraeis pauperibus ad instantiam creditorum, Christianorum carceratis, per eosdem creditores Christianos non esse subministranda; decretumque hujusmodi idem Paulus Praedecessor approbaverit, & ab omnibus ejusdem Urbis Tribunalibus servari mandaverit: quoniam tamen in Rota Auditorio, proponente bon. mem. Alphonso Patriarcha Hierosolymitano ejusdem Rota Locumtenente, decisum fuit, & judicatum, Hebraeis pauperibus carceratis alimenta, sive victualia, attenta juris communis dispositione, esse a creditoribus etiam Christianis praestanda: Decretum vero

Causae hujus Constit.

F

vero

Hebrais ad instantiam Christianorum carceratis alimenta prestari mandat.

vero Visitatorum praedictorum locum dumtaxat habere, quando alimenta praedicta coram Visitatoribus carcerum hujusmodi petuntur;

§.1. Idcirco ad contentiones inter diversa ejusdem Urbis Tribunalia evitandas, utque pauperibus Hebrais hujusmodi aliquo modo, ne pereant, subveniatur, providere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, onus solvendi praedicta alimenta pauperibus Hebrais ad Christianorum instantiam carceratis, Communitati eorundem Hebraeorum de Urbe, apostolica auctoritate, tenore praesentium imponimus; ipsamque Communitatem ad praestanda realiter, & cum effectu alimenta, sive victualia pauperibus Hebrais carceratis hujusmodi per eosdem Visitatores, aliorum quorumcumque ipsius Urbis Tribunalium Judices, via executiva, & manu regia cogi posse volumus: reservato tamen jure eidem Communitati Hebraeorum pro alimentorum, sive victualium praedictorum recuperatione, contra eorundem Hebraeorum carceratorum bona, res, & jura agendi.

Clausula sublata.

§.3. Decernentes, sic & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrarium.

§.4. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, regula nostra de jure quae sit non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 18. Octobris 1635. An.XIII.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decimo octava Octobris 1635. Pontificatus nostri Anno XIII.

CDXCVI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Declaratio nullitatis venditionis, & emptionis Officiorum Cruciatum Regnorum Castellae, & Legionis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Urban. VIII. ne Notarius Officia Cruciatum vendi possent, mandavit.

§.1. Alias Nos dilectorum filiorum Cleri Regnorum Castellae, & Legionis indemnitati juxta creditum Nobis desuper apostolica servitutis officium consulere volentes, Ven. Fratri Laurentio Episcopo Senogallien. nostro, & Apostolicae Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio per nostras in simili forma Brevis expeditas Literas commisimus, & mandavimus, ut inter alia Commissarium Cruciatum, auctoritate nostra moneret, ne No-

tariatus officia Cruciatum, subsidii, & primae decimae excusati nuncupati, cum ecclesiastica officia sint, a ministris regis vendi, seu alienari quoquo modo permitteret: minusque cogeret Clerum ad solutionem aliquam facien. eis, qui officia hujusmodi, seu alterum eorum emisset, si ve tunc temporis forsan de facto emisset; Nosque sub excommunicationis lata sententiae poena per contrafacientes ipso facto incurrenda serio prohibere, ne officia, & alia praedicta emerentur, vel venderentur, sed circa haec debere servari omnia, quae catenus servari consueverant, & aliis prout in dictis Literis, quarum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis haberi volumus, plenius continetur.

§.2. Cum autem, sicut ex iterata, & gravi eorundem Cleri querimonia accepimus, aliqua ex praedictis officiis tempore dictarum literarum nostrarum hujusmodi vendita, & alienata essent, dictique Clerus ad solutionem illis faciendam, qui officia hujusmodi, seu eorum alterum emerunt, compellantur, & cogantur, & a ministris per Ecclesiarum dictorum Regnorum Capitula ad hujusmodi officia exercenda deputatis, suorum officiorum scripturae, & instrumenta ipsis invidis extorqueantur, ne illis pro suorum officiorum exercitio, & ratione uti, aut se praemunire ullo pacto valeant;

Cum tamen aliqua ex praedictis officiis vendita fuissent,

§.3. Nos praemissis, quantum cum Domino possumus, obviare volentes quascumque venditiones, & emptiones de dictis officiis factas cum omnibus, & singulis inde sequentis, nullas, irritas, & inanes, nulliusque roboris, vel momenti esse, & fore, apostolica auctoritate, tenore praesentium declaramus.

Ipsa venditiones hujusmodi nullas, atque irritas declaras.

§.4. Decernentes omnes, & singulas venditiones, & emptiones de dictis officiis haecenus factas, & si quas de cetero contra literarum nostrarum praedictarum formam, & tenorem fieri contigerit, nullum jus, vel coloratum titulum possidendi cuiquam emptori, vel venditori hujusmodi tribuisse, vel tribuere, nec aliquem effectum sortiri potuisse, nec posse, non secus, ac si factae non fuissent. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Nuncios, quavis auctoritate, & potestate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulas opponit.

§.5. Quocirca eidem Laurentio Episcopo moderno, & pro tempore existenti in dictis Regnis Nuncio per praesentes etiam committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios praesentes Literas, & in eis contenta quaecumque solemniter publicet, dictisque Clero in

Publicatione harum Literarum mandavit.

Obstantia tollit.

Datum die 3. Novem. 1635. An XIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Venerabili Fratri Alexandro Episcopo Neocastren. moderno, & pro tempore existenti, in Portugallia, & Algarbiorum Regnis debitorum Collectori generali.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Referat Literas alias emanatas.

Causa imponenda Gabelle.

ro in praemissis efficacis defensionis praedictae alitens faciat auctoritate nostra praesentes literas, ac in eis contenta hujusmodi ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari; Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§.6. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quae in dictis Literis volumus non obitare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die tertia Novembris 1635. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

CDXCVII.

Extensio Gabelle super vino, & carne exigenda ab Ecclesiasticis in Portugallia, & Algarbiorum Regnis ad aliud sexennium.

Venerabili Fratri Alexandro Episcopo Neocastren. moderno, & pro tempore existenti, in Portugallia, & Algarbiorum Regnis debitorum Collectori generali.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Referat Literas alias emanatas.

§.1. Alias a Nobis emanarunt Literae tenoris subsequens, videlicet: Venerabili fratri Laurentio Episcopo Hieracen. &c. reliqua invenies in suo ordine sub dat. 31. Januarii 1629. Pontificatus anno Sexto.

§.2. Et subinde pro parte dicti Philippi Regis denuo Nobis exposito maximas necessitates Christianifidelium, & Ecclesiarum illarum partium majori indigere subsidio, personarumque aliarum Civitatum, Oppidorum, & Locorum eorundem Portugalliae, & Algarbiorum Regnorum numero valde excedere personas dictae Civitatis Ulixbonen. emolumenta quoque dictae Gabelle, si illam pro majori subsidio eidem Regi ad praefatum effectum praestando praefatae Civitates, Oppida, & Loca praedictorum Regnorum Portugalliae, & Algarbiorum excepta Civitate Ulixbonen. imposuissent, vel imponere voluissent, spatio praefati sexennii dictam summam ducentorum millium cruciatorum a Nobis per praesentis Literas, & quoad ecclesiasticos approbatam longe excedere, & ad summam quadringentorum millium cruciatorum, & ultra ascendere, facultatesque laicorum eorundem Regnorum non suppetere.

Bull. Rom. Tom. VI, Par. II.

§.3. Nos supplicationibus d. Philippi Regis Nobis super hoc iterum humiliter porrectis inclinati, Ven. Fratri Laurentio Episcopo Hieracen. tunc jurium, & spoliarum Cam. Apost. in eisdem Portugallia, & Algarbiorum Regnis debitorum Collectori generali per alias in simili forma Brevis sub die 12. Decembris ejusdem anni 1629. expeditas Literas commisimus, & mandavimus, quatenus excepta dicta Civitate Ulixbonen. reliquarum aliarum Civitatum, Oppidorum, & Locorum dictorum Regnorum, quae gellam hujusmodi imposuissent, vel imponere voluissent, Praesentibus, Officialibus, & Ministris quovis nomine nuncupatis eandem gellam etiam a personis ecclesiasticis tam secularibus, quam regularibus quoscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existant, etiam exemptis, & quomodolibet qualificatis, vinum, & carnem, ut praefertur, publice ementibus usque ad aliam summam aliorum ducentorum millium cruciatorum, & sic in totum usque ad summam quadringentorum millium cruciatorum excepta dicta Civitate Ulixbonen. intra tamen sexennium a die impositionis dictae gabelle, si illam, ut praefertur, imposuissent, vel imponere voluissent, computan. dumtaxat, & non ultra, modo, & forma in praesentibus Literis expressis contribuen. persolvend. exigen. & converten. absque ullo conscientiae scrupulo, aut censurarum, & poenarum ecclesiasticarum incurfu exigendi, pecuniasque inde provenientes, ad effectum praemissum, & in alios usus quoscumque convertendi, & erogandi licentiam, & facultatem, auctoritate nostra, cum omnibus tamen conditionibus, decretis, clausulis, & cautelis in praesentibus literis expressis concederet, & impertiretur, & alias, prout in dictis literis, quarum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur.

Aliis facultatem praedictae Gellam imponendi concessit Pontifex.

§.4. Cum autem, sicut dictus Philippus Rex iterum Nobis nuper exponi fecit, necessitates, propter quas gratiae praefatae a Nobis eidem Philippo Regi concessae sunt, non modo vigeant, verum etiam ad praesens multum excreverint, etiam quoad Provinciam Brasiliae ad Coronam Portugalliae spectantem, & propterea dictus Philippus Rex Nobis humiliter supplicari fecerit, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur;

Quam nunc extendi Rex petit.

§.5. Nos piis dicti Philippi Regis votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illumque amplioribus favoribus, & gratis, profecti volentes, Clerumque, & Ecclesiasticos Regnorum praefatorum Portugalliae, & Algarbiorum, sub quorum dominio India praedicta consistunt, pro necessaria dictorum locorum recuperatione, ac Christianifidelium ibi existentium salute, catholicaeque religionis defensione, & augmento de patrimonio Christi, cujus causa maxime agitur, etiam eorum ratam gabel-

Ulixbonen. ad aliud sexennium prorogavit.

gabellæ hujusmodi, pro carne, & vino publice emendo, solvendam pro alio sexennio, si eandem gabellam ad aliud sexennium hujusmodi per Civitates, Oppida, & Loca, eorumque Communitates, ac Universitates, & homines modo, & forma præmissis imponi contigerit, libenter suppedituros Nobis persuadentes; præfataque necessitates omnino attendentes; hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi per præfentes committimus, & mandamus, ut si per Civitatem Ulixbonen. pro summa ducentorum millium, per reliquas vero Civitates, Oppida, & Loca eorumdem Regnorum pro summa quadringentorum millium cruciatorum hujusmodi gabellam eandem super carne, & vino publice emendis, ut præfertur, ac modo, & forma in præfentis Literis expressis ad aliud sexennium a fine sexennii supra expressi computan. de novo imponi contigerit, vel forsitan imposta sit, pro recuperatione, & manutentione locorum Indiarum præfatarum, itaut prædicta gabellam Civitatis Ulixbonen., quam etiam quarumcumque aliarum Civitatum, Terrarum, & Locorum Portugallie, & Algarbiorum Regnorum hujusmodi, insimul in totum summam sexcentorum millium cruciatorum, seu scutorum moneta Romanæ non excedat, earumdem Civitatum, & Oppidorum, ac Locorum Præfidentibus, Officialibus, Ministris, Communitatibus, ac Universitatibus, & hominibus respective licentiam, auctoritate nostra prædicta, concedas, & impertiaris, gabellam prædictam etiam a personis ecclesiasticis tam secularibus, quam regularibus cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existant, etiam exemptis, & quomodolibet qualificatis, vinum, & carnem, ut præfertur, publice ementibus absque ullo conscientie scrupulo, aut censurarum, & poenarum ecclesiasticarum incurfu, & durante sexennio per præfentes concessio, & ut præfertur, computando dumtaxat exigendi, pecuniasque inde provenientes, ad effectum præmissum, & non in alios usus quoscumque convertendi, & erogandi, & respective, quatenus jam ad ultimodictum sexennium hujusmodi imposta sit, confirmes, & approbes.

Deputat per-  
sonas ad di-  
ctam Gabellam  
exigendam.

§.6. Volumus similiter, quod pecunie ratione gabellarum hujusmodi exigende penes datas personas fide, & facultatibus idoneas, unam videlicet ab eodem Philippo Rege, seu ejus Ministris in eodem Regno existentibus, aliam vero a dicto Clero, seu a te ejusdem Cleri nomine deputan., & respective approbandas omnino deponantur, & per easdem personas conjunctim procedentes dictis Philippi Regis Ministris, ad effectum illas in prædictis Indiis, & Brasiliæ, & non in alios usus sub infra scriptis censuris, & poenis eo ipso incurrendis expendende assignentur: quodque persona sic deputata, & approbata de pecunias hujusmodi, non-

nisi ad effectum eadem subsidia in præfatos, & non alios usus præstandi eidem Philippi Regis Ministris numerando, Ministris vero prædictis pecunias ex dictis gabellis provenientes sibi, ut præfertur, numerandas, non nisi in istos, & non alios usus erogando, sub excommunicationis majoris, ac privationis dignitatum, officiorum, & beneficiorum etiam ecclesiasticorum ipso facto incurren., a quibus non nisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente specialiter, non autem vigore cruciata, seu alterius cujusvis concessionis, aut privilegii ab eadem Sede pro tempore emanati, & emanandi absolvi posse declaramus, solum præsent in manibus tuis juramentum.

§.7. Insuper etiam volumus, quod quicumque alii Ministri, & Officiales Regii, cujuscumque conditionis, qualitatis, status, & præminentie, specialique nota digni sint, casdem pecunias in toto, vel in parte in alios, quam præfatos usus, sub eisdem censuris, & poenis ipso facto incurrendis convertere non possint: quodque in eventum contraventionis, seu inobstantie omnium, & singulorum præmissorum, vel cujuslibet eorum præfens gratia nulla sit, prout illam ex nunc, tenore præsentium, nullam fuisse, & esse, contravenientesque ad restitutionem teneri, & non nisi facta actuali restitutione absolvi posse, similiter declaramus, ac etiam decernimus, quodque sexennio per præfentes concessio, & ut præfertur, computando elapso, & interim si præfata summa erunt soluta, seu exacta, eadem præfentes expirent similiter eo ipso, nec sub eisdem censuris, & poenis ipso facto incurrendis gabellæ præfate ulterius exigi, minusve super eis aliquod onus, præsertim ultra præfatum tempus duraturum, imponi unquam possit.

§.8. Per præfentes autem non intendimus impositioni alias per eandem Civitatem Ulixbonen. pro derivanda aqua factæ, & per Nos confirmata in aliquo præjudicare.

§.9. Decernentes, sic, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.10. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quorumvis Ordinum, & Congregationum, & quibusvis aliis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus,

Pecunia ex d.  
Gabella pro-  
venientem in  
alios usus con-  
verti vetat.

Prædicta Ga-  
bellam aliis  
non præjudi-  
care declarat.

Clausula.

Obstantibus  
derogat.

bus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, & innovatis, omnibusque illis, quæ in Literis præfatis volumus non obstare. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum inferitis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 20.  
Novem. 1635  
An. XIII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima Novembris 1635, Pontificatus nostri Anno XIII.

CDXC VIII.

Ex Regest. in  
Secret. Breu.

Prohibet, quominus Majorem post Pontificalem in Cathedralibus, & Principales in Collegiatis Ecclesiis Dignitates obtinentes, ac Canonici Magistralis, Doctorales, Lectores, Penitentiarum, & Parochialium Ecclesiarum Rectores in Regnis Castellæ, & Legionis Episcoporum familiares esse possint,

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Refert non-  
nullas a Gre-  
gorio XV. e-  
manatas li-  
teras.

§.1. Alias a felix recordationis Gregorio Papa XV. Prædecessore nostro emanarunt Literæ tenoris subsequenti, videlicet: Gregorius Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam. Alias a felix recordationis Paulo Papa V. Prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris videlicet:

Quibus refe-  
runtur alie  
similes Pauli  
Quinti Lite-  
re.

§.2. Paulus Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Ecclesiæ universæ per abundantiam divinæ gratiæ, meritis licet insufficientibus, præpositi, vigilantia nostre partes, sicut ex incumbenti Nobis officii debito tenemus, sedulo intendimus, ne persona ad Ecclesiarum servitium, & curam assumptæ, & deputatæ, a servitio, & cura hujusmodi cum Ecclesiarum earumdem detrimento distrahantur. Sane, sicut Nobis nomine dilectorum filiorum Deputatorum, & Congregationis Cleri Regnorum Castellæ, & Legionis expositum nuper fuit, in penultimo consilio Provinciali Toletan. provide statutum, & ordinatum fuit, ut Canonicus, qui Præbendam Doctoralem, aut Magistralem, vel illam obtinet, cui munus legendi Sacram Scriptu-

ram incumbit, necnon & Penitentiarum Metropolitan., vel Episcopi Vicarius, Provisor, aut Visitor non possit esse Judex ordinarius, vel delegatus universalis appellationum, quod etiam in Presbyteris Parochiales Ecclesias obrinentibus omnino servari voluit, ne ab Ecclesiis, quarum cura pastoralis ipsis est commissa, eos abesse contingat. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, in Regnis prædictis, aliarum ecclesiasticarum personarum doctrina, & virtutibus insignium, qui prædicta munia obire possint, magna benediciente Domino copia reperitur, ac firmiora sint ea, quæ apostolicæ confirmationis robore muniuntur, & propterea Deputati, & Congregatio hujusmodi plurimum cupiant dictum Statutum apostolicæ auctoritate approbari, & confirmari. Nos justis, & laudabilibus Deputatorum, ac Congregationis hujusmodi petitionibus per dilectum filium Joannem de Salazar Canonicum Ecclesiæ Compostellaneæ dicti Cleri negotiorum in Romana Curia gestorem Nobis exhibitis benigne annuere, ipsosque Deputatos, ac Congregationem specilibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innovata existant, ad effectum præsentium, dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio Statutum in dicto Concilio Provinciali, ut præfertur, factum, apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiciamus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti, etiam substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes Statutum hujusmodi ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabili Fratri Antonio Archiepiscopo Capuano moderno, & pro tempore existenti nostro, & Sedis Apostolicæ in Regnis Hispaniarum Nuncio, ac dilecto filio Curia causarum Camera Apostolicæ generali Auditori per præfentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum per se, vel alium, seu alios præfentes Literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Deputatorum, & Congregationis hujusmodi, necnon interese

Paulus V. con-  
firmavit Sta-  
tutum Conci-  
lii Toletani  
quo cavetur,  
quominus non  
nullæ Digni-  
tates sint Judi-  
ces appellatio-  
num.

esse habentium fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant, auctoritate nostra easdem praesentes, & in illis contenta huiusmodi, ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compefcendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris nostri de una, & Concilii generalis edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum distorum Regnorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis Ecclesiarum distorum Regnorum Praesulibus, & aliis quibuscumque superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Augusti 1615. Pontificatus nostri Anno XI.

Gregor. XV. praed. Statuti extendit ad omnes Ecclesias Regnorum Castellae, & Legionis.

§.3. Cum autem, sicut dilectorum filiorum Deputatorum, & Congregationis Cleri Regnorum Castellae, & Legionis praedictorum nomine Nobis nuper expositum fuit, ipsi provide considerantes, quod si Statutum per praesentem Literas approbatum, & confirmatum huiusmodi, ad Ecclesias omnes Metropolitanas, Cathedralis Collegiatis, & Parochiales totius Regni Castellae, & Legionis extenderetur, & ampliaretur, ex hoc profecto earumdem Ecclesiarum utilitati maxime confuleretur. Nobis propterea Deputati, & Congregatio huiusmodi per dilectum filium Ludovicum de las Infantas, & Saavedra Archidiaconum de Antequera nuncupatum, & Canonicum Ecclesiae Malacitanae dicti Cleri negotiorum in Romana Curia gestorem humiliter supplicari fecerunt, ut super praemissis opportune provideret de benignitate nostra dignaremur. Nos igitur pius, & laudabilibus Deputatorum, & Congregationis huiusmodi votis, quantum cum Domino possumus annuere, ipsosque Deputatos, & Congregationem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus

quomodolibet innotatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium dicti Concilii Tridentini Interpretum, consilio, Statutum in provinciali Synodo Toletan. editum, atque a dicto Paulo Praedecessore confirmatum, ut praefertur, ad Ecclesias omnes Metropolitanas, Cathedralis, Collegiatis, & Parochiales totius Regni Castellae, & Legionis huiusmodi, apostolica auctoritate, tenore praesentium extendimus, illudque in eisdem Ecclesiis perinde observari, atque in aliis Ecclesiis Provinciae Toletan. praecipimus, & mandamus; Sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Quocirca Venerabili Fratri Alexandro Patriarchae Alexandrino moderno, & pro tempore existenti nostro, & Sedis Apostolicae in Regnis Hispaniarum Nuncio, ac dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae generali Auditori per praesentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum per se, vel alium, seu alios praesentes literas, & in eis contenta quaecumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Deputatorum, & Congregationis, necnon interesse habentium fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant, auctoritate nostra easdem praesentes Literas, & in eis contenta ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compefcendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus omnibus illis, quae dictus Paulus Praedecessor in praesentibus Literis huiusmodi voluit non obtinere, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die nona Maii 1622. Pontificatus nostri Anno II.

Idem Clerus petit decerni prout in Rubrica.

§.4. Cum autem, sicut dilectus filius Lucas Gonzales de Leon Canonicus Magistralis Ecclesiae Corduben. Ecclesiarum praedictarum, quorum negotiorum in Romana Curia gestor existit, nomine Nobis nuper exponi fecit, ipse Nos decerni sumopere desideret, ut nec majorem post Pontificalem in Cathedralibus, nec principalem in Collegiatis Ecclesiis dignitates obtinentes, nec Canonici Magistrales, Doctores, Lectores, Penitentarii, & Parochialium Ecclesiarum Rectores, Episcoporum familiares, seu commensales esse possint, quandoquidem eademmet prorsus inconvenientia, sive incommoda oriantur, ex eo quod praedicti eorumdem Archiepiscoporum, seu Episcoporum Officiales, seu Visitatores existentes necessario cogantur deesse suarum Praebendarum obligationi, ac muneri, & gubernio, necnon Ecclesiarum ipsarum regimini, ad quem unum, seu solum, vel praecipuum effectum Praebendae praedictae apostolica auctoritate creatae, & institutae sunt, Nobis propterea dictus Lucas tam suo, quam Ecclesiarum praedictarum nominibus humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

orientur, ex eo quod praedicti eorumdem Archiepiscoporum, seu Episcoporum Officiales, seu Visitatores existentes necessario cogantur deesse suarum Praebendarum obligationi, ac muneri, & gubernio, necnon Ecclesiarum ipsarum regimini, ad quem unum, seu solum, vel praecipuum effectum Praebendae praedictae apostolica auctoritate creatae, & institutae sunt, Nobis propterea dictus Lucas tam suo, quam Ecclesiarum praedictarum nominibus humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Decretum:

§.5. Nos igitur tam Deputatorum, & Congregationis, quam Luca praedictorum votis, hac in parte annuere, illosque specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, apostolica auctoritate, tenore praesentium decernimus, ne de cetero perpetuis futuris temporibus majorem post pontificalem in Cathedralibus, ac principalem in Collegiatis Ecclesiis dignitates obtinentes, nec Canonici Magistrales, Doctores, Lectores, Penitentarii, & Parochialium Ecclesiarum Rectores, Episcoporum familiares, seu commensales esse possint.

Clausula praeservativa.

§.6. Praesentes vero Literas, & in eis contenta quaecumque ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executio deputatio.

§.7. Quocirca dilecto filio moderno, & pro tempore existenti nostro, & Sedis Apostolicae in Regnis Hispaniarum Nuncio, ac dilecto filio Curiae causarum Camerae Apostolicae generali Auditori per praesentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum per se, vel alium, seu alios praesentes Literas, & in eis contenta quaecumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Deputatorum, & Congregationis, necnon interesse habentium fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem praesentes Literas, & in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compefcendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§.8. Non obstantibus omnibus illis, quae in Literis praedictis concessa sunt non

obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die vicesima prima Novembris 1635. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

Dat. die 21. Novembris 1635 An. XIII.

CDXCIX.

Quod nullus Fratrum Ordinis Praedicatorum per se, vel alium negotium aliquod tractare audeat in Romana Curia, inconsulto Procuratore generali dicti Ordinis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Galassinus Ordinis Praedicatorum Procurator Generalis, quod licet per decreta Capitulum Generalium dicti Ordinis prohibeatur eisdem Ordinis Professoribus, sub certis inibi expressis poenis, ne per se, vel per alium, pro se, vel pro alio, etiam praetextu procuratoris, vel commissionis sibi datae a propria Provincia, vel Domo regulari, negotium aliquod, cuiuscumque illud generis sit, quomodolibet tractare, procurare, inchoare, aut attentare audeant, nisi per pro tempore existentem dicti Ordinis Procuratorem Generalem, vel de ejus scitu, & expressa in scriptis licentia, & alias prout in dictis decretis latius continetur, tenoris subsequens, videlicet: Ex Actibus Capituli Generalis Romae 1612. Admonemus omnes, ac singulos nostri Ordinis Patres, ac Fratres, cuiuscumque gradus, status, & conditionis existant, eisdemque iuris de causis, & ad tollenda, evitandaque incommoda multa, quae in dies oriri cognoscimus, in virtute Spiritus Sancti, & sanctae obedientiae, & sub formali praecocepto, necnon sub poenis excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, a qua non nisi per Magistrum Ordinis, vel ejus Vicarium Generalem, praeterquam in mortis articulo possint absolvi, & si Praelati fuerint, sub poena etiam absolutionis a suis officiis ipso facto incurrendae, praecipimus, & mandamus, ne in Romana Curia negotium aliquod, cuiuscumque illud generis sit, per se, vel per alium, pro se, vel pro alio, etiam praetextu procuratoris, vel commissionis sibi datae a propria Provincia, vel Conventu quomodolibet tractare, procurare, inchoare, aut attentare audeant, nisi per praedictum admodum Rev. Patrem Procuratorem Ordinis, vel de ejus scitu, & expressa licentia in scriptis. Revocantes praesentium tenore omnes facultates haecenus in contrarium datas, & si quas in posterum his contrarias dari contingat. Ex Actibus Capituli Generalis Bononiae 1615. Confirmamus, & reno-

Causae hujus Constitut.